



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Brigitta Vid. 23. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

23. Iulii.

VITÆ SANCTORVM.

359

ebria , & lætissimi nuntii ad Apostolos nuntia.
Quid? quod hunc etiam ipsa Apostoli vices fun-
cta in ipsas usque Gallias Massiliam portavit , &
populos nova amoris magistra amare Crucifi-
xum docuit. Hunc illa inter silvas maximè & lo-
ca sola venabatur, & in nudo lectulo Crucis, quam
illuc loci Angeli defixerant, indagabat. Audires jam
saxa edocta & littora barbara JESVM suspirare, JE-
SVM ingeminare ; cùm interim sæpiculè hic ad
Dilectam è cælo inviceret , illa sæpè sæpius ad Di-
lectum ab Angelis in aëra , tandem in cælos etiam
raperetur. Ex Evang. & Silv. Prierate.

*Si nos esse peccatores novimus & esse nolumus , pedi-
bus Christi demus lacrimas , figamus oscula , pietatis
oleum totâ devotione fundamus. Imitemur Magdale-
nam , quam conspicimus non solum caruisse peccatis,
sed ad sanctitatis verticem pervenisse. Petr. Chrysol.
Serm. 2. de S. Magd.*

S. BRIGITTA VID. 23. Iulii.

Vix dum septennis erat BRIGITTA , cùm jam
coronâ donari meruit à cæli IMPERATRICE.
Hæc eadem acu pingenti in opere adesse Magistra
visa est. quidni ab hac Pallade edocta pulchrè pin-
geret ? Eodem ferè tempore CHRISTVM velut
tunc primum in crucem suffixum vidit , dictan-
tem facinus hoc eorum esse , qui suos amores ne-
gligerent, mundi sectarentur. Inde illa dolenti tam
condoluit , ut quoties patientis mentio fieret, te-
stes continuò doloris lacrimas daret , feriâ item
VI. semper plagas animi nudaret, corpusculum ar-
denti cerâ perfunderet, herbas ore manderet ama-
nissimas gustui , sed quas medicus amor condivit.
Viro nupta vitam egit tam sanctam , ut obstetri-
can-

360 VITÆ SANCTORVM. 24. Iulii
cantem è cælo manum commodare VIRGO pa-
rienti non dubitarit. Ipsa Matris officio tum se
functam putavit, cum D E O prolem transcrip-
set. Filium certè, cui lacrimis cælum emollie-
rat, ipse D E V S filium lacrimarum vocavit.
Jam quoties illam loqui homini contigit gra-
viori labe asperso, oberrare ipsam naribus Mephiti-
tim credidit. adeò malè olentes animas scelera-
ti trahitis! A morte conjugis novas religiosè vi-
vendi leges viris virginibusque scripsit, quas ipse
Legislator C H R I S T V S illi dictavit, cui etiam
præsenti, anno suprà M. C C C. L X X I I I.
animam reddidit. Mortem illius orbis ideo mi-
nus tunc ægrè tulit, quòd vivere etiam mortuam
in filiâ Catharinâ crederet. Ex Surio.

*Quæ anima semel didicit Dei præsentiam suspira-
re, & querere faciem ejus semper, nescio an vel ipsam
gehennam experiri ad tempus horribilis ducat, quam
post hujus studii gustatam suavitatem exire denuo ad
illecebras, vel potius molestias carnis. S.Bern.serm.15.
in Cant.*

S. CHRISTINA VIRG. MART.

24. Iulii.

DIcite, quotquot Musas colitis, quid virgine
felicius, si Doctorem habere Angelum mere-
tur? Certè virgo CHRISTINA habuit, & Christianæ
doctrinæ rudimenta cùm edisceret, ab ore An-
geli pependit. Nempe sic ipsis Diis quoque (quos
argenteos aureosque parens habebat) rectè uti
didicit, quando fractos in frusta pauperibus iussit
cedere, docuitque hos ipsos rectè denique morta-
libus propitos esse: jam parentis furorem ut for-
titer excepit? Alapæ, vincula, unci, rotæ, flammæ
velicæ.